

tenti sunt. Quid à quod Rhythmi versus tum temporis  
 nondum in lingua provinciali sive Francica Romana,  
 sed in Teutonica & Francica genuina extiterint, quâ  
 de re H. Valesius in *Valesian.* pag. 124. ita: *Rhythmi*  
*versus sub Wilhelmo VIII. Duce Aquitaniae & Comite Ri-*  
*etaviensi, qualium meminit Ordericus ult. caepere usurpa-*  
*ri in vulgaribus carminibus circa annum 1100. Inter Poë-*  
*tas Provinciales vulgò dictos, leguntur carmina Willel-*  
*mi hujus rhythmica, ad canendum composita, de itinere*  
*Hierosolymitano. Alterum amatorium, quod est initium*  
*& origo nostrae vulgaris Poëseos, & nostrae etiam linguae*  
*vulgaris, quâ nunc utimur. Scilicet duplex est lin-*  
*gua Provincialis, vetus & hodierna. Et pag. 194.*  
*Lingua Francica, qua hodie utimur, ex lingua Latina seu*  
*Romana corrupta originem habet, ut Italica & Hispanica,*  
*admistis compluribus verbis Francicis seu Germanicis, &*  
*aliquot etiam Gallicis veterum incolarum. Rustica Roma-*  
*na lingua vocatur in Concilio Turon. III. ann. 813. quod*  
*Galli, Romani vulgò dicti, eâ uterentur atque etiam ple-*  
*rique Franci Neustrasii, maximè autem Aquitani & Nar-*  
*bonenses. Ejus linguae rusticae Rom. primitias habemus*  
*& notabile exemplum apud Nithard. Lib. 3. in sacramento*  
*Ludovici R. Germania, in fœdere illo Ludovici & Caroli*  
*Regum, & sacramento populi. Poëtas quidem vulgares,*  
*qui Rustica Rom. linguâ sua opera & carmina composue-*  
*rint, nullos ante annum 1150. habemus, ex Falseto: alibi*  
*dicit circa annum 1100. caepisse florere. Chartas seu li-*  
*teras Præceptave & diplomata Regum & alia eâ linguâ*  
*nulla ferè reperias ac nusquam ante annum 1220. à quo*  
*tempore plurima extant. Antonius Oiselius tamen char-*  
*tam profert Ludovici Crassi R. Franc. datam an. 1122. lin-*  
*guâ vulgari facile intelligibili, nisi tamen è latino sermo-*